Noverint universi quod nos Beatrix Dei gratia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde attendentes quod dictum monasterium habet satis prope ci-
vitatem Gerunde joueriam vocatam de Monte Erubio (?) cum suis terris honoribus et pertinentiis suis attendentes etiam quod consideratis sumptibus qui
pro laboratione ipsarum terrarum et honorum et alia ratione ipsius jouerie fiunt necessario et fieri habent melius utilius et fructuosius est ipsi monasterio
multiplici ratione dictam joueriam cum suis terris honoribus et pertinentiis stabilire seu ad emphiteosim concedere sub certis censibus quam ad
propriam laborationem retinere vel etiam ipsam ad laborandum concedere habitis super predictis et quolibet predictorum diligenti et fre-
quenti consilio deliberatione et tractatu cum conventu nostri monasterii propterea more solito convocati et congregati predicto ipsius mo-
nasterii utilitate attenta de consensu voluntate et consilio dicti nostri conventus et etiam de auctoritate et expresso assensu [illegible] reve-
rendi patris in Christo domini Gastonis miseratione divina episcopi Gerunden. gratis et ex certa scientia per nos et succedentes nobis in dicto
monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accapitum vobis Jacobo de Manso Oliba mercerio Gerunde quandam feriolam
terre prout est signata et terminata ex campo vocato Corney qui est dicte jouerie que feriola terre affrontatur ab oriente in camino
publico a meridie in honore mansi Johannis ab occidente in torrente a circio in feria Berengarii de Jongreio (?). Predictam siquidem
feriolam prout superius terminatur et affrontatur cum omnibus introitibus et proprietatibus suis juribus exitibus et pertinentiis
suis universis et singulis et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et deceteroo faciendis vobis dicto Jacobo de
Manso Oliba et vestris perpetuo damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accapitum salvo tamen jure et directo dominio
dicti monasterii tam in terciis laudimiis forisscapiis emparis faticis quam etiam aliis que ad directum dominium pertinere noscun-
tur. Dabitis propterea vos et vestri nobis et nostris succedentibus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo sanctorum Pe-
tri et Felicis ordeum quarteriam et medietatem medie quartere frumenti boni pulcri sicci et nitidi ad mensuram Gerun-
de ipsas deffendentes in foro allatas vestris sumptibus in dicto monasterio. Et sic sub dictis modis et conditioni-
bus constituimus nos dictam feriolam terre nos vestro vestrorumque nomine possidere donec eiusdem rei possessionem tam de jure
quam de facto adeptus fueritis corporalem in qua intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et vestris damus et conferimus po-
testatem ad faciendum inde omnes vestras voluntates retentis tamen conditionibus supradictis. Et sic per nos et nostros suc-
cedentes in dicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere tenere et servare
et predicta que vobis stabilimus vos et vestros semper facere habere tenere et etiam deffendere in pace contra cunctas personas et
inde vobis et vestris firmiter teneri de evictione et omni dampno et interesse litis et extra. Et pro predictis attendendis et
complendis obligamus vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presentia et futura. Pro huiusmodi vero concessione habui-
mus et recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii viginti septem sol. sex den. barch. Renuntiando exceptioni pecunie non nu-
merate et non recepte et doli. Et ego dictus Jacobus de Manso Oliba laudans et concedens omnia supradicta promitto vobis dicte
domine abbatisse et succedentibus vobis in dicto monasterio dictum censum ordei quarterie et medietatis medie quarterie
frumenti annuatim solvere termino supradicto allatum ut est dictum. Et pro predictis attendendis obligo vobis et vestris dictam fe-
riolam terre cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et deceteroo faciendis. Quod fuit actum et tam a dicta
venerabili abbatissa quam dicto Jacobo firmatum et laudatum sexto idus octobris anno domini millesimo trecentesimo
tricesimo tercio. Presentibus testibus venerabili Bernardo de Lacu presbitero de capitulo et Petro de Villaritio clerico et Ar-
naldo de Torrente Gerunde. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito congregatum in capitulo dicti monas-
terii laudata concessa et firmata et etiam predicta omnia postea per dictum reverendum dominum episcopum Gerunden. laudata auctoriza-
ta et firmata iiii idus octobris anno domini predicto presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palaciolo clavigero (?) et Bn. de
Lacu presbitero de capitulo Gerunden. Et similiter Arnaldo de Torrente baiulo dicti monasterii predicta firmavit pro baiulo coram
testibus supradictis.

Sig+num Petri Massaneti notarius publicus substitutus auctoritate regia a Bn. de Toylano notario Gerunde publico hec scribi fecit et clausit
cum raso in linea ... ubi dicitur Jacobo.

No. 68 f. 103v

CTORS.

T. 430 x 285

es de Montiribi

nº 672

Stabliment fet a Jauma de Masellua de 2a de una feixa de terra que es part del Camp Corney de la partida de Montiribi. A 16 8bre 1333.

AC f. 30

4

Ser. A. I. [illegible] segon del Camp Corney de la [illegible] de Montiribi

(701)